

Istorum autem argumenta hue revocantur: *primo*, constituto semel principio ineluctabili, quod catholici subditi Ecclesiae sint, eiusque legibus vinciantur, prout et nos in superiori articulo ostendimus, et praeterea constat ex iis omnibus, quae Ecclesia constituit in universo *tit.* *De haereticis*, iam plane consequitur eosdem obnoxios esse legi a conc. Tridentino statutae circa formam celebrationis coniugiorum. Iam vero decretum Tridentinum, nulla interposita distinctione, nulla exceptione facta, illa omnia coniugia irrita omnino ac nulla edixit, quae fuerint celebrata iis in locis, in quibus decretum hoc fuerit rite publicatum. Igitur et acatholici hac lege obstringuntur, eorumque matrimonia nullius sunt valoris, si illis in regionibus celebrentur, in quibus illud decretum obtinet, sine praesentia parochi catholici, duorumque *testium*.

Secundo: Notum est ex historia concilii Tridentini, ideo concilium apposuisse suo decreto conditionem de publicatione in singulis paroecis, ne irrita evaderent haereticorum connubia omnia, pro certo habens, quod ipsi non essent in suis ditinibus publicaturi hoc suum decretum. Ergo hoc ipso ostendit concilium velle se etiam haereticos, ubi publicatum fuerit suum decretum, obstringere (43).

Vel ipse Walter, professor Bonnensis, etsi de quaestione nostra haud satis definite ac perspicue pronunciet, testatur nihilominus protestantium matrimonia ab Ecclesia secundum ipsius leges iudicari, atque in matrimonii mixtis servandam esse Tridentini formam expresse declarat, scribens: « Nei luoghi » dove il concilio di Trento è in vigore, e n'è possibile l'osservanza, debb' « essere osservato anche nei matrimonii tra un cattolico ed una acattolica » deinde mentione iniecta Declarationis Bened. XIV. pro Hollandia, concludit: « Negli altri paesi poi si sta al diritto comune. Cf. *Manuale del diritto ecclesiastico* vers. dal tedesco. Firenze Tom. II. *Tratt. del matr.* cap. IV. §. 500 seqq.

(45) Huius rei testis est locupletissimus card. Pallavicini, qui consultus a Galliarum nuncio respondit: « È certo appresso i cattolici, che gl'impedimenti dirimenti statuti dal diritto canonico, comprendono ancora gli eretici, e i loro matrimonii: imperocchè gli eretici in virtù del battesimo sono sudditi della chiesa, ne l'essersi da lei separati di fatto, gli ha potuto dissobbligare dalle sue leggi; come niun suddito, perchè di fatto si sottragga all' obbedi-

- *Tertio*: Fatentur plerique omnes, coniugia mixta illis in regionibus inita, in quibus obtinet decretum Tridentinum, nullius plane esse valoris; porro non alia de causa irrita censemuntur ac sunt eiusmodi connubia, quam quod etiam haereticci illo obstringantur, alioquin ob individuatatem contractus, valida forent, si haereticci lege Tridentina non tenerentur; ut reipsa valent connubia haec, si pars catholica cum haeretico exempto nuptias ineat.

Quarto: Certum est, ut postea videbimus, declarationem Benedicti XIV. qua valida matrimonia sive inter haereticos ad invicem, sive mixta in Hollandia celebrata aut celebrantur, edicuntur, extensam esse ad plures regiones, in quibus haereticci dominantur, ut deinceps legitima seu valida illa haberentur, etiam praetermissa concilii Tridentini forma, quamvis eius decretum fuerit ibi publicatum. Ergo, inferunt, sine tali declaratione, nulla forent, prout etiam expresse saepius a sacris congregationibus, et a Rom. pontificibus declaratum est; tot igitur habentur ineluctabiles probationes de nullitate eiusmodi coniugiorum quo sunt regiones, ad quas Benedictina declaratio extensa est; alioquin prorsus inutilis eiusmodi extensio foret.

enza del suo principe, rimane sciolto dal debito d'osservar le sue costituzioni... Quando nel concilio di Trento si trattò d'annullare per tempo avvenire i matrimoni clandestini, e di praescrivere a questo fine una nuova forma essenziale, fu opposto che ciò cagionarebbe litigi di legittimità e d'eredità; perchè tal forma dagli eretici non sarebbe osservata; e fu pensato di provedere a ciò con quella condizione, che tal decreto non obligasse, se non un mese da poi, che fosse pubblicato nella parochia: consideratosi, che tal pubblicazione non avverrebbe ne' paesi degli eretici, e così non si renderebbono nulli i loro matrimoni; il che mostra che la chiesa ha inteso che gli eretici siam obligati non solo dalle sue leggi passate, ma eziandio dalle future. L'altra è, che qualunque volta si convertano alla religione cattolica marito e moglie eretici, fra quali fosse impedimento dirimente, chiedono, e sogliono ottenere la dispensa di nuovamente contrarre. Lo che rende chiaro, che la chiesa, e comun senso de' cattolici ha quelli antecedenti matrimoni *per nulli*, come contratti dagli eretici contro la prohibitione ecclesiastica dirimente. » Nelle lettere discorsive fol. 413. apud Vinc Petra in Comment. ad Constit. XII. Ioannis XXII. n. 36.

Quorsum enim declarationem illam extendere, si valida iam celebrantur illis in regionibus connubia?

Quinto subdunt; illa unice vera sententia censenda est, quam theoretice ac practice ecclesia Romana seu apostolica Sedes iugiter a celebratione concilii Tridentini ad hanc usque diem consecrata est; talis vero est ecclesiae Romanae doctrina et praxis, ut nulla constanter habuerit sive acatholicorum coniugia inter se, sive coniugia mixta, quae inita fuerint aut ineantur illis in locis, in quibus decretum Tridentinum publicatum ac receptum est, nisi intervenerit aut interveniat Ecclesiae dispensatio. Idque sensit servavitque nulla ratione habita conditionis, in qua acatholici inveniantur, nempe sive cum catholicis commixti sint, sive peculiares distinctosque coetus constituant; item tum sub principibus catholicis, tum sub principibus acatholicis.

Quum vero hic agatur de facto adstruendo, quod nonnisi documentis constare potest, se vertunt ad ea congerenda; eaque promunt ex constitutionibus, brevibus, decretis, responsis, quae data sunt immediate a Rom. pontificibus, nec non ex rescriptis, instructionibus, responsis, quae emanaverunt a sacris Romanis congregationibus, quae Rom. pontificum instrumenta et organa sunt, quibus eorum mens patet, nec unquam absque expressa ipsorum approbatione promulgari consueverunt; quo fit ut sac. congregationum responsa cuique privatorum theologorum aut canonistarum auctoritati praefferri debeat et anteponi.

Hoc praeiacto fundamento, in medium proferunt eiusmodi documenta.

Nos ut ea ob oculos subiceremus in unum veluti collecta ex diversis istius sententiae auctoribus, una cum caeteris, quae nobis comparare potuimus, elenchem veluti quemdam eorum confecimus, quem hic exhibemus. Quandoquidem autem plura haec documenta sunt, ne inordinate ac sine delectu id praestaremus, hunc consecrati sumus ordinem, ut prius afferamus, quae respiciunt peculiares regiones, deinde quae generalia sunt, sive agatur de coniugiis acatholicorum inter se, sive de coniugiis mixtis; cum una eademque sit omnium ratio.

§. III.

Apostolicae Sedi decreta circa Matrimonia acatholicorum inter se, et Matrimonia mixta, ubi publicatum ac receptum est decretum Concilii Tridentini.

Atque ut incipiamus a documentis, quae Galliam respiciunt, de qua ultimo loco disseruimus, primum sit responsum, quod a supra SS. inquisitionis congregazione datum est an. 1818. die 19. Iulii vicariis capularibus Pictaviensibus, qui exposuerunt quod cum « Hodie protestantes statum *civilem* in Galliis » habeant, *societatemque religiosam efforment a societate catholica distinctam, quae suos ministros suosque usus habent....» Resp. sacra congregatio : « Vicariis capularibus Pictaviensibus presse et stricte respondendum esse *iuxta responsiones alias datas consimilibus postulatis, nempe quoad matrimonia, quae in praesenti rerum statu contrahuntur in Galliis sive a protestantibus inter se, sive ab una parte protestante et altera catholica, non servata forma concilii, an valida habenda sint, prout valida declaravit Benedictus XIV. matrimonia simili modo in Hollandia contracta : scilicet respondendum esse : decretum Benedicti XIV. an. 1741. editum super matrimoniis Hollandiae *taxative* respicere *tantum matrimonia in iis provinciis* contracta vel contrahenda, non autem alia matrimonia in aliis locis et provinciis inita vel ineunda, quibus idcirco applicari nequit absque nova et speciali S. Sedis declaratione ; multo magis in Galliarum regno, ubi decretum concilii Tridentini de refor. matr. sess. 24. cap. 1. absque ullo dubio immediate post concilium publicatum fuit in universis provinciis, et constantissime observatum (44). »**

Haec verba aperta sunt, nulloque indigent commentario; ex his enim patet, 1. legem Tridentinam vix sanctitam in universis

(44) Huius decreti, seu potius renovationis responsionum, quae olim iam datae fuerant, tenor legitur apud Pages *Dissert. sur le prѣt. 1. part. 165.* eiusque meminit D. Carrière loc. cit. n. 1226. et 1231.

Galliae provinciis promulgatam fuisse constantissimeque servata; 2. constitutionem Benedictinam per analogiam haud posse extendi ad alias provincias extra Hollandiam seu status Belgii foederatos, sed opus esse *speciali S. Sedis declaratione*; 3. matrimonia ab haereticis in Galliis sive coaluerint in coetum seu societatem distinctam sive non, inita aut ineunda, praetermissa forma Tridentina, esse prorsus invalida ac nulla.

De datis olim eiusmodi responsionibus, quarum mentio fit in hoc rescripto, nulla esse poterit dubitatio ei, qui animadverterit iamdiu a Pio VI. constituta. Is enim in Brevi *Laudabilem* 26. Sept. 1791. ad episcopos Galliae: « In Galliis, inquit, debent matrimonia coniungi a suo parocho legitimo, vel alio sacerdote de eius vel ordinarii licentia; nam matrimonium aliter celebratum nullam vim haberet ob celeberrimam Tridentini concilii legem de clandestinis matrimonii in illius regni parochiis promulgatam et constantissime observatam. » Item in *Inst. ad episc. Lucionensem* 28. Maii 1793. « Frustra quaestionem modo moveri, cum Tridentini concilii decretum publicatum in singulis Galliarum Ecclesiis fuerit. Cum enim certo certius constet in Ecclesiis Galliarum iam usu receptum esse, ut matrimonia celebrentur coram parocho et duabus vel tribus testibus tanquam in exequitionem decreti concilii Tridentini, hoc profecto satis debet esse, ut praesumatur facta eiusdem decreti publicatio, sicut aperte legitur in resolutione edita a S. C. concilii die 29. Sept. an. 1602., quae refertur lib. 10. decr. pag. 47. *Publicationem praesumi ubi decretum fuerit aliquo tempore in parochia tanquam decretum concilii observatum*. Idemque statutum legitur in alia resolutione die 30. Martii 1669. »

Haec ipsa vero magis evoluta sunt in resolutionibus dubiorum particularium, quae proposita sunt sac. congregationibus. Idecirco nos paucas, speciminis gratia subiicimus ex iis, quae datae sunt pro Galliis. In dioecesi Valentiae 11. Febr. 1799. in quodam pago, ubi catholici numero parum excedeant haereticos, quaedam Victoria Ithien *catholica* se matrimonio iunxit cum

Antonio Thibaud protestante, ast tantum civiliter, *cum ad superiore legitimum, vel alium sacerdotem ab ipso deputatum facile recurri poterat*. Orto vero inter contrahentes dissidio, divortio legali ab invicem se separarunt 26. Augusti 1801. Deinde praedicta Victoria an. 1804. novum attentavit coniugium civile cum Francisco Talon catholicico. Factorum suorum poenitens suaequae conscientiae satisfacere cupiens, petiit, ut *nullum declararetur primum matrimonium, quod contraxerat cum Thibaud adhuc in vivis agente, et sic legitime coniungi posset cum Talon*. Suprema S. officii congregatio feria IV. 23. Mart. 1808. respondit. « Quatenus constet per legitimas probations, primum matrimonium fuisse contractum tempore, quo erat facilis et tutus accessus ad parochum catholicum, idem matrimonium esse *nullum*; ideoque nihil obstare, quominus secundum matrimonium ab oratrice contractum cum viro catholicico renovari possit, servata forma concilii Trid., dummodo non aliud obstet canonicum impedimentum. »

Possem alia non pauca documenta eiusmodi proferre, atque occasione data, alia etiam inferius afferam, quae omnia in unam eamdemque sententiam conspirant, nimirum nulla esse coniugia, quae in Galliis quovis tempore ab haereticis inter se celebrata sunt, sive obtinuerint sive non obtinuerint statum, quem civilem vocant. Apostolica Sedes semper sibi constans fuit in reiiciendis uti nullis ac invalidis eiusmodi haereticorum connubii, eo quod ex una parte illi constiterit ab initio in universis provinciis decretum Tridentinum *Tametsi* publicatum fuisse; ex altera vero Benedictinam decretalem an. 1741. pro Hollandia, statibusque foederatis Belgii datam, sine speciali eiusdem Sedis extensione ad alias regiones, ius commune non immutare. Quapropter illa diversitas epocharum superius commemorata inutilis prorsus est; quaecumque enim fuerit ac sit in Galliis haereticorum conditio, nulla unquam olim neque nunc temporis valida fuerunt habita, atque habentur ipsorum coniugia a Sede apostolica.

Neque hic praetermittere debo ad dictorum confirmationem,

praxim esse constantem supremae sac. inquisitionis congregationalis admittendi instantias ex Galliis sibi oblatas, in quibus pars catholica post attentatum coniugium mixtum coram ministro acatholico et officiali civili ut suae conscientiae prospiciat, petit matrimonii convalidationem. Hisce in casibus, si pars heterodoxa nolit suos abiurare errores, dispensatio conceditur ea sub praescriptione, ut coniuges consensum suum renovent coram parocho ac duobus testibus, perinde ac si primum tunc matrimonium inirent. Quod si rerum adjuncta urgeant, ac pars acatholica novum praebere consensum reluctetur coram parocho catholico, solet dispensationem concedere *in radice* (45). Ex qua agendi ratione patet, veluti coniugia attentata, adeoque uti invalidas eiusmodi nuptias a Sede apostolica spectari, utpote non celebratas iuxta formam Tridentinam. Praeterea eadem sac. congr. absolvit a censuris incursis, si iis interfuerit minister acatholicus, atque iniungit renovationem consensus coram parocho catholico, aut concedit sanationem *in radice*. Adeo verum est sanctam Sedem tanquam nulla ac irrita spectare coniugia mixta in Galliis celebrata, quoties omittitur forma a concilio Tridentino praescripta.

Quae de Galliis diximus, eadem de aliis regionibus sive catholicis sive acatholicis sive mixtis dici debent, adeo ut generale sit principium, coniugia sive haereticorum sive mixta, ubi publicatum fuit decretum Tridentinum *Tametsi* et quo Benedictina constitutio pro Hollandia speciali ratione ab apostolica Sede extensa non est, esse irrita ac nulla. Si qua sit circa generale hoc principium exceptio, eam postea exponemus.

Hoc vero principium novis adstruimus documentis Romanorum congregationum pontificumque responsis.

Sane, quamvis celebris Benedicti XIV. declaratio pro Hollandia an. 1741. ob adiunctorum paritatem in alias quoque regiones implicitam habere videri posset extensionem pro valore eius-

(45) Ex hac sac. congregationis praxi magis confirmatur, quod antea diximus, ad sanationem coniugiorum in radice opus haud esse renovationis consensus, imo et oblectante alterutra parte, posse coniugium sanari.

modi coniugiorum, attamen contrarium constat ex responsione, quae anno insequenti, scilicet 1742. facta est a congregatione concilii sub oculis et approbatione Benedicti XIV. ipsius. Siquidem Ulmae in dioecesi Constantiensi quidam Marcus Christophorus Burk, dioecesis Augustanae catholicus, nuptias contraxerat cum muliere Lutherana, Anna Maria Megelin, coram ministro Lutherano. Hinc sac. congregationi propositum fuit dubium : « An constet de nullitate matrimonii in casu etc. » Sac. congregatio priusquam dubium solveret sollicite quæsivit : *Num concilii Tridentini decreta fuerint in Ulmensi civitate promulgata*; itidemque num forma ineundi matrimonii a laudato concilio praescripta consueverit ibidem *aliquando servari*? « Cui inquisitioni respondit episcopus Constantiensis his verbis : « Extare » etiamnum Ulmae ecclesiam catholicam a canonicis regularibus » S. Augustini in officiatam, ad quam, *aliis dictae civitatis ecclesiis ab heterodoxis occupatis*, cura animarum et iura parochialia translata sunt, et in hac decretum S. concilii Tridentini fuit *promulgatum*, et etiamnum conformiter statutis » synodalibus huius dioecesis Constantiensis singulis annis promulgatur. A catholicis, quorum *aliquot familiae* usque in » praesentem diem Ulmae habitant, dictum decretum S. concilii Tridentini inviolabiliter *observatur*. Adest et semper adfuit » Ulmae parochus catholicus, qui sacramenta administrat, et a » quovis catholicis commode adiri potest. » Qua informatione accepta, ad propositum dubium sac. congregatio resp. *Affirmative*; seu constare de nullitate eiusmodi matrimonii. Agebatur tamen hoc in easu de regionibus, in quibus eadem rerum adiuncta vigebant ac viguerint in Hollandia. Nam Ulmae publicatum fuerat decretum Tridentinum, ibi etiam haeresis *impune grassabatur*, cum haereticis, expulsis catholicis, eorumque ecclesiis occupatis, dominarentur; vix anno anteacto declaratio Benedictina data fuerat, nihilominus coniugia ibidem absque Tridentina forma celebrata, nulla defectu clandestinitatis declarata sunt. Nullum igitur dubium superesse potest dispositionem Benedicti XIV. esse localem ex Sedis apostolicae mente, neque

ad casus similes extendi posse sine novo et explicito eiusdem Sedis decreto, quo ad alias regiones extendatur.

Sed praestat ad quaestionem prorsus dirimendam tum antiquiora tum recentiora documenta in medium proferre. Atque ut a matrimonii mixtis incipiamus, primum mihi sese offert instructio a Sede apostolica data ad episcopum Rosnaviensem. Cum enim anno 1780. ille episcopus inquisivisset, utrum declaratio Benedictina debuerit haberi extensa ad Hungariam, respondit S. Sedes : « Donec per S. Sedem aliter declaratum fuerit, tanquam *pro non extensa* ad Hungariam ab omnibus censenda sit; » adeoque connubia mixta ibi clandestine celebrata tanquam irrita habita fuerunt. Quod magis confirmatur ex aliis eiusdem instructionis verbis : « Quamvis matrimonia mixta *coram parocho catholico* absque alio dirimente impedimento celebrata, valida dignoscantur, » iuxta regulam ab omnibus admissam, quod *inclusio unius est exclusio alterius*.

Aliud suppetit documentum in responsione data ad vicarium apostol. Bredensem, qui mense Decem. an. 1828. cum expousisset : « In provinciis catholicis Belgii de tempore in tempus detestabilia coniugia inter *catholicos et acatholicos* ineuntur coram magistratu civili, non servata forma a Tridentino praescripta; quod cum declaratio sa. mem. Benedicti XIV. circa matrimonia Hollandiae data 4. Nov. 1741, *ad provincias catholicas* Belgii, hactenus, ut putamus, *extensa non sit*, de valore istorum matrimoniorum non constat, quod non raro contingit, quod tali modo coniuncti homines ad nostrum tractum, qui est in *confinio* dictarum provinciarum, devinant, ac in eo ut legitimo matrimonio iuncti vivant. Quamobrem confessarii magnopere torquentur, ignorantes quomodo sit procedendum cum parte catholica, si poenitentia ducta ad tribunal poenitentiae sese praesentet; nam *admonere de matrimonii nullitate non audent, nec, ut reor, expedit proper maiora mala inde verisimilius secutura*, cum civiliter validum legitimumque habeatur tale coniugium. Quare EE. VV. humiliter rogo, ut modum mediumque aliquod tuto

» procedendi in casu praescribere dignentur. » Cumque negotium istud, ut par erat, magna diligentia excussum fuerit, an. 1829. responsum est cum summi pontificis approbatione, quod « S. Sedes, ubi decretum concilii Tridentini publicatum fuit, neque fuit extensa declaratio Benedicti XIV. *tanquam nulla habet matrimonia celebrata contra formam Tridentinam*: ideo recurrat in casibus particularibus pro opportuno remedio. »

Cumque an. 1847. propositus fuerit ab episcopo Fluminis Ianuarii (*Rio-Ianeiro* in Brasilia) insequens casus supremae SS. inquisit. congregationi : « Agnes et Paulus in Gallia, illa *catholica* iste autem *acatholicus*, matrimonium inierunt *Parisiis*, sex vel septem ab hinc annis iuxta legem civilem, et a ministro acatholico benedictionem acceperunt; illi, qui nunc in supra dicta dioecesi (*Rio-Ianeiro* commorantur, post biennium, cum vitam maritalem amplius agere non valerent propter graves dissentionum causas inter se ortas, auctoritati civili in dicta dioecesi se stiterunt, et cum conciliari non possent, separacionem perfectam et absolutam pacti fuerunt, tanquam si nunquam matrimonium contraxissent. Quare Agnes episcopum consuluit, an liberum illi sit alium virum catholicum ducere, prout in votis habebat; seu quod idem est, quodnam iudicium efformandum sit de illo suo matrimonio cum Paulo contracto? Agnes et Paulus filios non habent. » S. congr. respondit : « Iuxta exposita matrimonium Parisiis contractum esse nullum et irritum; ideoque nihil obstare, quominus oratrix ad alias nuptias licite ac valide transire valeat. »

Sic cum pariter proposita fuerit quaestio ab episcopo Coreyensi an 1726. « An matrimonia inter protestantem mulierem que catholicam Corcyri celebrata cum assistentia parochi mulieris, aut praetermissa assistentia parochi proprii, valida haberri debeant, eo quod casus frequens sit inter viros graecos et mulieres latinas? » Die 9. Octobr. a supra dicta officii congr. responsum fuit : « Matrimonia contracta inter virum haereticum et mulierem catholicam absque praesentia parochi proprii in locis, ubi publicatum est concilium Tridentinum, non sunt valida,

» non obstante contraria consuetudine, quae corruptela est, et
» ideo tollenda; si vero sint celebrata coram proprio parocho
» mulieris catholicae, erunt valida quidem, sed illicita. »

Insuper ab eadem suprema S. officii congregatione an 1803. decretum editum est die 3. Novembr. de nullitate mixti connubii clandestine in insula Melitensi celebrati.

Itaque extra omnem dubitationis aleam positum est coniugia mixta in locis, ubi conc. Tridentinum promulgatum est, celebrata, forma ab eodem concilio statuta praetermissa, nulla prorsus esse, nisi expresso et speciali Sedis apostolicae indulto fuerit extensa declaratio Benedictina. Idque valet sive acatholici permixti sint cum catholicis, neque templa, ministros, cultumque distinctum habeant, sive coaluerint in societatem distinctam cum suis templis, ac ministris, nec non sive sub principe catholico, sive sub principe acatholico degant.

Documenta, quae attulimus, ad regiones fere pertinent, in quibus catholici principes dominantur. Vix non supervacaneum videretur post haec alia documenta addere, quae ad regiones referuntur in quibus protestantismus vel alia secta haeretica est religio Status, quaeque acatholicis principibus subduntur. Nam ut ex afferendis documentis videbimus, non modo in regionibus protestantium, verum etiam in regionibus infidelium, seu Turcarum, et gentilium forma Tridentina in matrimonii christianis servanda est sub nullitatis poena, ubi concilium publicatum fuit.

Hactenus de matrimonii mixtis; iam quaedam documenta afferenda sunt quibus clandestina matrimonia etiam haereticorum inter se invalida declarantur.

Congregatio concilii die 19. Ian. an. 1605, in rescripto ad episcopum Trichariensem, nuncium apostolicum in Belgio, respondit: « Haereticos quoque, ubi decretum conc. Tridentini est publicatum, teneri talem formam observare, et propterea ipsorum matrimonia absque forma concilii, quamvis coram ministro haeretico, vel magistratu loci contracta, nulla atque irrita esse (46). »

(46) Hoc rescriptum referunt Gobat tract. IX. c. 17. sect. 1. n. 464. Diana

Et in una Bosnensi 14. April. 1631. quoad eos, qui absque forma concilii matrimonium contraxerunt, respondit: « Si in ea regione decretum concilii observari consueverit, nulla esse matrimonia, in quibus contrahendis parochus non fuerit adhibitus (47). »

Eadem ratione respondit sacra poenitentiara in casu, quem refert Elbel, qui responsum profert, quo Lutherano ad fidem catholicam converso, qui in loco, ubi Tridentinum decretum publicatum fuerat, coram ministro haeretico matrimonium iniverat cum muliere pariter acatholica, facultas datur novum cum catholica ineundi coniugium coram parocho (48).

Huc accedit solutio quaesiti seu dubii his verbis propositi an. 1843. ab episcopo Vivariensi in Galliis: « *Duo acatholici matrimonium contraxerant, quorum unus postea religionem catholicam amplexus est. Tenetur ne, ut stet matrimonium, consensum matrimoniale coram parocho renovare, aut potius pars, quae catholicam religionem amplexa est, circa validitatem matrimonii in bona fide est relinquenda?* » Cumque interrogatus fuisse episcopus circa particularia propositi casus adiuncta, respondit apposito scripto; cum publicatum fuit decretum Tridentinum circa necessitatem praesentiae proprii parochi ad matrimonii valorem, protestantes in illa dioecesi magno numero fuisse, distinctamque constituisse societatem religiosam, quae suas habebat conciones, suos ministros, suumque cultum; ex his inferebat, decretum Tridentinum spectari posse tanquam non satis promulgatum, eo vel magis, quod aetate illa haereticorum saepe in bello adversus catholicos versarentur. Adiecit p

part XI tract. VI. resp. 1. Tamburinius *De matr. lib. VIII. tract. VI. c. 2. § 2. n. 11. aliisque passim.*

(47) Apud Pascuccium tom. IV. in indic. ad Pignatelli verb. *De matrim. §. Statuendum*; nec non apud Matthaeuccium *Cautela confess.* lib. IV. c. VIII. §. 16. n. 101. Alia cf. apud Thenaven, Bockhn, et Apolonium Holzmann tom. II. *De matr. tract. II. n. 480*

(48) Elbel *Theol. moral. sacramentalis tripartita* part. III. confer. 12 n. 299. Cf. etiam Reifenstuel *Theol. moral*, cum accessionibus Kresslinger et Kirkl tom. II. tract. XIV. n. 149.

terea quod, quamvis nunc valde imminutus sit in sua dioecesi protestantium numerus, attamen supra triginta adhuc millia reperiantur; et licet saepe contingat ambos coniuges in sinum religionis catholicae se recipere, nihilominus interdum alteram tantum partem catholicam religionem profiteri, dum altera in propria secta adhuc permanet; in utroque vero casu aegre coniuges induci ad renovandum consensum coram parocho, cum hoc implicitam confessionem includat, se hactenus in concubinatu vixisse. Responsum porro est ad propositum dubium a sac. congregatione supremae inquisitionis die 8. Iulii 1848. « Praevio recessu a decisio sub feria IV. 14. Ianuar. 1846. » Consulendum SS. pro responsione dirigenda episcopo Vivariensi » iuxta mentem patefactam an 1737. in causa Irenensi a S. congr. » concilii, nempe coniuges de validitate matrimonii non dubi- » tantes, in bona fide esse relinquendos, neque a participatione » sacramentorum arcendos fore. Peculiares vero casus et circum- » stantias eorum, qui scrupulis super suorum matrimoniorum va- » liditate anguntur, oportere ab eodem episcopo distincte exponi. » Haec autem resolutio ab alia particulari congregatione adoptata est, quae insuper addit: « Quamvis autem nulla sint haec ma- » trimonia, consultum tamen quam maxime erit in casibus particu- » laribus recurrere ad Sedem apostolicam, expositis omnibus » facti circumstantiis, quae tunc modo magis opportune huic rei » providebit. »

Huc pariter spectat responsio emissa a sac. poenitentiaria die 28. Mart. 1834, cui, quum proposita fuissent nonnulla dubia ab episcopo Gratianopolitano; tertium istorum dubiorum ita se habebat: « Utrum matrimonia ab haereticis *inter se* inita, » aut *cum catholicis* iuxta solas leges civiles, seu *coram minis- tro haeretico* sine praesentia parochi catholoci *valida sint* in » Galliis, et *in aliis regionibus*, ubi, uti in Galliis, protestantes et » haeretici omnes habent suos ministros, templa, seu statum » legalem a gubernio probatum. » Respondit: Ad. 3. *Negative*, exceptis regionibus de quibus loquitur Benedictus XIV. in declaratione die 4. Novemb. 1741., atque ad quas per suc- cessores suos illa eadem declaratio extensa est. »

Iam ab anno 1678. totam hanc doctrinam perspicue accura- teque proposuerat S. Congregatio concilii in decreto, quod, Innocentio XI. expresse probante, vulgavit, in quo tria haec edicuntur: « Ubi decretum eiusdem concilii (Trid.) cap. I. » sess. XXIV. De reform. matr. *Non est publicatum in paro- chia, valere matrimonia contracta absque observatione for- mae a concilio praescriptae.* II. *Publicationem praesumi, ubi decertum fuerit aliquo tempore in parochia tanquam decre- tum concilii observatum.* III. *Haereticos etiam, ubi decretum dicti capituli est publicatum, teneri talem formam observare, et propterea ipsorum matrimonia absque forma concilii, quamvis coram ministro haeretico vel magistratu loci con- tracta, nulla et irrita esse* (49).»

Eadem responsa magno numero habentur S. Congreg. con- cilii, quae vulgatissima sunt; nos aliquot exhibebimus, alia indicasse contenti, ne nimis prolixus evadat hic noster elenchus. Igitur iam ab an. 1572. die 19. Maii sac. congr. concilii re- solvit: « Nullum esse matrimonium contractum coram parocho, haeretico, si decretum concilii c. I. De reform. matr. publica- tum fuerit in parochia, et lapsi erant triginta dies a die pri- ma publicationis (50); » et iterum die 26. Sept. 1602. sac. congregatio dictere pronuntiavit: « Haereticos quoque, ubi decretum dicti cap. I. est publicatum, teneri talem formam obser- vare, et propterea ipsorum etiam matrimonia, absque forma concilii, quamvis corum ministro haeretico vel magis- tratu loci contracta, nulla atque irrita esse (51). » Quod decretum, ut vidimus, alias confirmatum passim fuit. Idem responsum datum fuit in una Poloniae an. 1638. (52); item in una Ruremondensi an. 1676, item in una Gedanens. an. 1677.;

(49) In *Tricatiensi* 8. Ianuar. 1678.

(50) Lib. X. *Decret.* p. 47.

(51) Apud Vinc. Petru in *Comment. ad Const. XII. Ioannis XXII. n. 20.* et apud Pignatelli *Consult. canon. 79. n. 27.*

(52) In *Act. De matrim. inter haereticos et inter haeret. et cathol.* Rever- diss. p. D. *Cavalchini.* Romae 1741. E., p. III. p. LI.